



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

49. An Hæreticus occultus incurrat irregularitatem? Et an Hæreticus occultus post impetratam absolutionem possit sine vlla dispensatione, & metu irregularitatis celebrare? Ex p. 4. tract. 2. res. 46.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

de heresi, & supplicio affici; quia Textus absolutè loquitur, quamvis enim quibuscumque in locis possent incurrere irregularitatem ortam ex infamia: hanc tamen non contrahunt. Ita ille.

5. Nota etiam hic obiter cum Hurtado, ubi supra, & Præposito, contra Suarez de Censuris, disput. 43. sect. 3. n. 2. quod non sunt inhabiles descendentes prædictorum morientium absque emendatione, si nati fuerint ex eis, quando erant Catholici, & non fautores, nec receptores. Et satis etiam probabiliter dici potest, hæreticos occultos non incurrere irregularitatem; ut alibi probavi, & docet Hurtado, ubi supra, diff. 4. n. 14. cum multis aliis. Et dato hæreticos irregulares esse; satis etiam probabiliter dici potest, hanc irregularitatem non extendi ad hæreticos externè negantes Fidem, non autem internè; ut ex Azorio, & Navarro probat Castrus Palaus tom. 6. disp. 6. punct. 19. §. 1. num. 4. quicquid magis probabiliter asserat Suarez, Sanchez, Farinacius, & alii, quos adducit Palaus, num. 3. Nec obstat Textus in c. Presbyteros, disp. 5. nam ibi nullum est verbum, ex quo colligatur Presbyterum illum fidei à Fide apostatasse; poterat enim timore duci, & nihilominus Fidem ex animo abnegare. Deinde casu, quo Textus loqueretur de fide negante; solum comprehendit delinquentes publicè: nam in conclusione dicitur, eos, quorum crimina manifesta sunt ante, vel post ordinationem, à Sacris Ordinibus deiciendos esse; quorum tamen peccata secreta sunt, secreta satisfactione secundum Sacerdotis edictum in propriis Ordinibus remanere posse. Textus autem in c. Non potest, c. Contra Christianos, de heret. in 6. in quibus Apostata à Fide heresis poenis subicitur, intelligendi sunt de verò Apostata, qui Fidem ex animo, negavit: secus qui solum verbis, vel factis negationem significavit. Fateor tamen contrariam sententiam esse communioem.

6. Petes primò: An suspecti de heresi hanc irregularitatem incurrant? Affirmant aliqui, sed probabiliter negatur, quia nullibi sufficienter exprimitur. Petes Secundò: an eam incurrant schismatici? Respondetur negativè, si non sint hæretici. Petes Tertiò: Quis in hac irregularitate possit dispensare? Respondetur, ordinariè solum Summum Pontificem: si tamen crimen sit occultum, videtur Episcopus posse dispensare, juxta Concilium Tridentinum sess. 24. c. 6. de Reformatione. Ita variè, quia eo cap. excipitur sola irregularitas proveniens ex homicidio voluntario occulto. Sed crimen heresis, ut dixi, si est occultum, aliqui probabiliter asserunt, non inducere irregularitatem.

RESOL. XLVII.

An filii Sacerdotum, Paganorum, Iudeorum, &c. sint irregulares?

Et difficultas verò consistit, quanto tempore sit judicandus aliquis Neophytus, ut ratione irregularitatis non possit etiam minores Ordines recipere, an post decem annos à suo Baptismo non sit amplius irregularis? Et in tali casu notatur, quod non dispensatur in irregularitate, sed declaratur irregularitatem cessasse. Ex part. 4. tract. 2. Ref. 50.

§. 1. Respondo quod si dicti baptizati sunt ab infamia, nullam incurrunt irregularitatem, quia non sunt filii hæreticorum, contra quos lata est in jure irregularitas. Ita DD. quos citat & sequitur Bonacina de cens. disp. 7. quest. 3. punct. 7. num. 11. Si autem conversi sunt, & baptizati in adulta ætate, dicuntur Neophyti, & sunt irregulares, ut communiter tradunt Doctores; difficultas verò consistit, quanto tempore sit judicandus aliquis Neophytus, ut ratione irregu-

laritatis non possit etiam minores Ordines recipere. Mihi placet sententia Filliucii tom. 1. tract. 20. cap. 9. num. 240. Suarez de cens. disp. 43. sect. 3. num. 6. & 7. & aliorum, asserentium non posse ullum certum tempus assignari ad judicandum aliquem pro Neophyto: qui potest eum promovere, quem post aliquam temporis dilationem à die suscepti Baptismi judicat habilem & idoneum ad Ordines. Nota tamen quod in tali casu Episcopus non dispensat in irregularitate, sed declarat irregularitatem cessasse, jura enim certum tempus non præscribunt. Nota tamen hic cum Hurtado disput. 2. de irregul. diff. 19. n. 61. & aliis, quod post decem annos à suo Baptismo Neophytus non est amplius irregularis.

RESOL. XLVIII.

An fidei negans fidem ab ea apostatando sine sponte, sine timore ductus incurrat irregularitatem?

Et si crimen notorium sit, an incurrat irregularitatem ex infamia, non verò si sit occultum? Ex part. 4. tr. 2. Refol. 49.

§. 1. Hic casus olim mihi in facti contingentia accidit, & supradictum apostatam esse irregularem docet Sanctarellus tract. de heresi c. 25. dub. 1. num. 4. Majolus de irregul. lib. 5. c. 34. n. 2. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 25. n. 6. Suarez de cens. disp. 43. sect. 2. n. 2. Farinacius de heresi quest. 92. n. 73. quod probat Sanchez ex cap. Presbyteros, disp. 50. qui textus de fictis apostatis videtur aperte loqui.

2. Verum ego contrariam sententiam cum Filliucio tom. 1. tr. 20. cap. 9. n. 230. probabilem puto, si crimen occultum sit, nam si crimen esset notorium, incurreret irregularitatem ex infamia, non autem irregularitatem peculiarem; & ratio est, quia talis irregularitas non videtur infligenda contra tales in nullo canone: ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet Azorius tom. 1. lib. 8. c. 11. quest. ult. & c. 21. quest. 8. & ad cap. Presbyteros, respondet Filliucius loc. cit. n. 231. & hanc sententiam probabilem etiam esse putat Bonacina de cens. disp. 7. quest. 3. punct. 7. num. 2. nam sententiam contrariam, quam ipse, & merito, tenet, & ego tenco, vocat tantum probabilioem.

RESOL. XLIX.

An Hæreticus occultus incurrat irregularitatem? Et an Hæreticus occultus possit imperatam absolutionem possit sine ulla dispensatione, & metu irregularitatis celebrare? Ex p. 4. tr. 2. Ref. 46.

§. 1. Affirmativè respondet Turrianus de censur. lib. 9. disp. 62. dub. 1. Filliucius tom. 1. tr. 20. can. 9. n. 228. Præpositus in 3. p. 9. 5. de irregul. dub. 7. numer. 50. Coninch de cens. disp. 18. dub. 7. n. 50. Suarez de cens. disp. 43. sect. 1. n. 4. Sanctarellus tract. de heresi c. 25. dub. 1. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 25. num. 2. & alii penes ipsos, adducentes pro hac firmanda sententia multos canones.

2. Sed non desunt Doctores negativam sententiam asserentes, & ita novissimè docet Petrus Cornejo in 3. p. D. Thoma tr. 5. de irregul. disp. 9. dubio unico, 9. 4. Hurtado disp. 2. de irregul. diff. 4. n. 13. & Tannerus in 3. p. disp. 6. 9. 10. dub. 10. n. 200. Layman in Theol. moral. lib. 2. tract. 5. part. 1. cap. 6. n. 11. Philarchus de officio Sacerd. tom. 1. p. 1. lib. 4. c. 15. Avila p. 7. disp. 4. dub. 2. Hentiq. lib. 14. c. 4. n. 6. Emanuel Sà vers. irregularitas ex defectu anime n. 2. Sayrus de cens. lib. 7. c. 12. n. 26. & Garcias de benef. tom. 2. p. 11. c. 10. num. 83. & 84. Unde secundum hos

